



Disputatio theologica de paradisi sede temere apud Jordanem quaesita

<https://hdl.handle.net/1874/347634>

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE

Paradisi Sede temerè apud Jordanem quæsita.

2 V A M

F A V E N T E D E O

S U B P RÆS I D I O

Plurimùm Reverendi & Clarissimi Viri,

D. JOHANNIS à MARCK, Phil. & S.S.

Th. Doct. hujusque Facultatis in Illustri Academia

Lugd.-Bat. Profess. Ordin. ut & Ecclesix

ibidem Pastoris,

Publicè ventilandam proponit

ADRIANUS REELAND, Ripa-Batav.

Ad diem 5. Julii, loc. hor. sol. ante merid.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academie Typographum. MDCXCVIII.

*CLARISSIMIS, ERUDITISSIMIS
VIRIS*

D. M. JOHANNI LEUSDEN, PHILOSOPHIÆ
DOCT. ET LINGUÆ SANCTÆ IN ACADEMIA
RENO-TRAJECTINA ULTRA XLVII ANNOS
PROFESSORI.

D. M. GERARDO DE VRIES, PHILOS. DO-
CTORI EJUSDEMQUE FACULTATIS IN IN-
CLYTA, QUÆ ULTRAJECTI EST, ACADE-
MIA PROFESSORI.

D. M. JOHANNI LUYTS, PHILOS. D. ET
EJUSDEM FACULTATIS IN ACADEMIA TRA-
JECTINA PROFESSORI.

PRÆCEPTORIBUS DE ME MEISQUE STU-
DIIS OPTIME MERITIS, OMNIQUE AMO-
RE ET OBSEQUIO HONORANDIS.

JUSTA QUOS
REVERENDO ET VITÆ MORUMQUE
INTEGRITATE
CONSPICUO VIRO

D. M. HENRICO TROYE, PHILOS. DOCTO-
RI ET IN ECCLESIA HAGIensi VERBI DIVI-
NI MINISTRO FIDELISSIMO, DIGNISSIMO,

EXERCITIUM HOC ACADEMICUM

D. D.
ADRIANUS REELAND.

Paradisi Sede temerè apud Jordanem quæsita.

THESIS I.



nimverò non est inter varias de Paradisi Situ opiniones à nobis rejectas ulla , quæ tanto cum fervore & apparatu defendit , quam quidem illa quæ cum constituit in orientali terræ Israëliticæ tractu , quem *Jordanes à Gennesar ad Sodomiticam regionem perlabi-*
bitur. Adversus illam dedimus nos antea argumenta duplicitis generis , ex iis sc. quæ dixit , & simul ex iis quæ tacuit Moses. Dixit nempe , ad Orientem , totius Israëlis , fuisse Paradisum ; quæ phrasis ipsi Israëliticæ terræ , etiam cis Jardenem , non competit. Dixit , in Hedene fuisse hortum Dei ; quæ regio distincta & multum dis-
ta fuit à terra Israëlitica. Dixit , Fluvium apud Adami sedem fuisse unum irrigantem , ex quo diviso fieret tam Tigris , quam Euphrates , atque illi qui divitem Havilam & Cusheana circumirent ; qualis fluvius in terra Israëlitica nullus reperitur , dum longius distant , & terre hæ juxta Assyriam , & fluvii no-
minati , alio loco etiam orti & exeuntes. Tacuit vero Moses in descriptione Paradisi prorsus de Terra Israëlitica , nec ul-
lum ejus alibi occurrens adhibuit nomen ; sicuti & tacuit de Paradiſo , ubi Terram eam multis aliis nominibus commenda-
vit. Tacuit idem de terris proximè vicinis ab omni parte , per quas saltem fluvius potuisset dici procedere. Tacuit quin etiam de Jardene , cui Fluvii Hedenitici Mosaica descriptio

minime convenit, qui tamen Israëliticæ terræ præcipiūs est. De his omnibus autem ad cognitionem Situs Paradisi, quam Moses dare voluit, tacere neutiquam potuisset, si apud hunc fluviū in ea terra ille fuisset. Sed nondum tetigimus, seu exceptiones, seu objectiones. Id nunc itaque agendum, potissimum ex Celebri Jesuita *Nicolao Abramo*, qui in *Pharo Vet. Test.* sententiam hanc præ aliis ursit, & ex quo alii complures heic sapiunt. Nostro tamen ordine secundum rerum naturam argumenta cuncta disponere licebit.

II. Atque ita deprehendo, opinionem dictam firmari, partim rationibus, partim autoritatibus. I. *Rationes* petuntur 1. Ex terræ illius fertilitate amœna, cum arborum leta copia, in primis circa Jardenem, quam uti in genere passim commendat Scriptura, ita & in specie Moses *Gen. xiiii. 10.* & testantur cum Josepho ac Hegeſippi exotici plures, & comprobant recentiores. 2. Ex tractus hujus situ *Orientali*, quandoquidem Jardenes ita est ad Orientem Canahanis, sicuti Mare Mediterraneum seu Magnum ad occidentem, hinc etiam Trans-Jardenicis tribubus hereditatem suam in oriente agnoscentibus *Num. xxxii. 19.* & tractu Jardenis constituto ab Oriente *Gen. xiiii. 11. 3.* Ex nomine *Heden*, vicinis terris dato, quando sic appellatur Tyri regnum *Ezech. xxviii. 3.* & Libanus cum subjectis terris *Ezech. xxxi. 16.* atque Heden agnoscitur in Syria Damascena *Ham. i. 5.* imò filii Heden constituuntur in *Thalassar* q. e. apud Mare Mediterraneum *Jes. xxxvii. 12.* Debetque cum hoc nomine conferri, quod tractus ille *hortus* *Jehovæ* appelletur *Gen. xiiii. 10.* & *Genesar* quasi quasi שָׂדֵה *hortus princeps*, vel *hortus principis*, notante dudum Hieronymo de Nom. Hebr. in Matth. apud quem vitoſe legitur *ortus principium* vel *principum*; quodque illi tribuantur à Brocardo mira poma *Paradisi*, Malabatum Syrium vocetur *herba Paradisi* apud *Isidorum*, quin & in Syria ponantur *Paradisus* vel *Paradisi balsami* apud *Strabonem* & *Theophrastum*, & fluvius ad radices Libani cum urbe in Cæle-Syria nomine *Paradisus*, apud *Strabonem*, *Ptolomeum*, *Capellam*, *Plinium*. 4. Ex fluvio qui heic deprehenditur uno, plane eodem quem Moses descripsit. Siquidem primò appellatur גַּתְּרִים seu *fluvius Heden*. Dein restagnatione vicinas terras irrigat, coll. *Genes. xlii. 10.* *Jos. iii. 15.* *iv. 18.* *Jerem.*

Jerem. XII. 5. XLIX. 19. L. 44. &c. eum in finem etiam flexuosus, seu *ambitiosas* accolique se prabens, velut invitus *Asphaltitem Lacum petens*, uti est apud *Plinium Lib. V. Cap. 15.* Tum medius ipse est, inter fontes illinc septentrionales Tigridis & Euphratis, hinc *Æthiopiam & Havilam* meridionales, quas regiones Pishon & Gihon circumire dicuntur. Labitur porro ita in lacum Genesar & Asphaltitem, ut mox terris absorbeatur, nec pelago accipiatur juxta *Tacitum*; unde omnino per occultos canales subterraneos videtur dividi in quatuor capita, seu scatebras Tigris, Euphratis, Pishon, & Gihon, nihil obstante magna locorum distantia aut altitudinis diversitate, quando & alia longissime sub terris labi flumina quæ deinde emergant universalis est consensus, nec constat fontium primorum Jardenis altitudo. Et accedit, tum *Syracidis* autoritas, qui *Jordanem* cum quatuor fluviis Mosis jungit *Eccles. xxiv. 35.* 36. tum qualitas aquarum Jardenis, quas *nunquam corrupti vel rotu terrarum orbe delatas* testetur *Villamoniis Lib. II. Peregr. Cap. 20.* quæ adeo Paradisum immortalitatis & incorruptionis locum meritò irrigent. 5. Junguntur cum his Mosaicis characteribus quin etiam alia plura. Nempe terra Iisraëlitica creditur totius terræ medium, etiam ex *Psalm. LXXIV. 12.* longitudine computata sc. à Gadibus ad Gangem; ast in medio terræ credatur merito fuisse Paradisus, tanquam gemma in annulo, cor in corpore, pupilla in oculo. Terra Iisraëlitica fuit, ex consensu Judæorum & Christianorum veterum, *locus creationis Adami*, & *habitationis ejus post lapsum*, juxta communiorum traditionem à Basilio etiam inculcatam, ac sedem gigantum quales ante diluvium ex Kajino orti in Moabitica Ammonitica & Basanitica terra *Deut. IIII. 13. Bar. IIII. 26. 27.* &c. dum non longè à Libano est quoque Henochia à Kajino exstructa *Gen. IV. 16. 17.* &c. & sepulture ejusdem, quæ Calvaria monti pasim tribuitur à Patribus; iste vero locus proximus debuit esse Paradiso, ob Adami in hunc introductionem, & ex eo expulsionem faciliorem, cum renovata lapsus memoria quotidie. Terra Iisraëlitica amplius præ aliis omnibus celebratur in Sacris literis, & in specialem possessionem populo Dei est promissa ac statuto tempore posteritati Abrahami similiter tributa, & cœlestes sedes typice Iisraeli repræsentavit; quorum uti alias vix con-

stat ratio illa , ita manifesta est illa , si fuerit Paradisi olim sedes. Maxime omnium observatur, hanc esse terram , in quam Christus venit , in Iardene baptizatus , & circa eum prædicacionem suam inchoans , & in qua est dein mortuus & suscitatus ; dum conveniens videtur , ut inde secundus Adam humanae salutis initium accenseret , unde primus Adam mortem in orbem terrarum invexerat , atque ut in loco Paradisi Deus vellet & nasci & mori & resurgere unigenitum , qui indubie arbor est vite , indeque suam proficiendi legem , ad discernendum quod est bonum & malum , quam nulli fas est carperet , nulli mordere sine intermissione mortis &c. Ita autem omnia argumenta ex *Abramo* Jesuita sumpsit fere & ursit ipse *Cel. Heideggerus* , quem Virum Magnum nuper sibi morte , eruptum meritò luget Orbis Reformatus.

II. *Autoritates* accedunt , & *Judæorum* , qui portam Paradisi jungunt monti *Morie* , & Christianorum qui cum ills in Agro Damasco Adamum creatum statuunt ; porro Veterum apud *Athanasiū* , qui Jerosolymis Paradisum figebant , item *Jac. Naclanti Clugiensis Episc. Mariane* , *Circenelli Doracensis* , *Alphonſi à Vera Cruce* &c. qui si non per omnia saltem ex parte huic opinioni de Paradiso in terra Israëlitica subscribere deprehendantur , adeoque à novitatis singularis vitio eandem libarent.

III. Isthæc objectionum tela , sic pertexta , nunc retexenda venit breviter. Atque heic in primâ objectione negare nolim , vel universæ Israëliticæ terræ præ aliis plurimis multiplicem præstantiam , vel Jordanici tractus in illa speciale decus ; cuius imminutio magna per Sodomiticae regionis eversionem facta quidem est , sed ita ut hinc etiam ipsum præcedens decus constet. Ineptus enim sit , qui propter secutum peccata Dei judicium , quod & *Tertullianus* heic observavit *de Pall. Cap. 11.* neget priorem terræ illius felicitatem ; sic utique judicium ipsum simul negaturus re ipsa. Præterquam quod vastatio illa spectet ad meridionales Jardenis partes ubi Lacus Asphaltites seu Mare Mortuum ; dum mansit diu post eam elegancia *Campi Magni* seu *Convalis Illustris* , & præcipue regionis Gennesar magis septenthionalis ad Lacum ejus nominis. Hanc enim descripsit *Josephus* cum aliis , tanquam optimam *Galilee Ant. Lib. xviii. Cap. 3.* & tanquam *Iudeasq[ue]n F[ab]ri n[on] p[ot]est n[on] l[oc]o Lib. iii. de B. Jud. Cap. 35.* Ubi sic

sic porrò dè ea legas ; 'Οὐτε γὰρ ἀντὶ τῆς Φυτῶν δένεται διὰ τὸν ποιότητα , καὶ τὰ σων πεφυτεύσαντι οἱ νεκρόμενοι' τοῦ δὲ ἀνθρώπου τὸ ἔνεργαν ἀριθμὸν καὶ τοὺς διαφόρους , καρύα μέρη Φυτῶν τὸ χειμεριῶνταν ἀπειρον πεθίλασσι . ἐνδικ Φοίνικες , εἰς παύματι τελέφονται , τυκέων τε καὶ ἐλαῖαν πλησίον τέτων , αἷς μαλαχιτεξ^ς ἀντὶ ἀπόδεδεκτην . Φιλοποιίαν ἀν της ἑποι τῆς Φύσεως , βιασμένην εἴσεν συναγαγεῖν τὰ μάχιμα , καὶ ταῦτα ἀρεῶν ἀγαθὴν ἔριν , ἐκάστη ἀσπερ ἀντιποιαμένην τὸ χωρίον . καὶ γὰρ οὐ μόνον τελέφει τοῦδε δόξαν τοῖς διαφόροις ἐπωέρεις , αὐτὰ διαφυλάσσει , τὰ μέν γε βασιλικά ταῦτα σαφειλν την καὶ σῦνον δέκα μησίν ἀδιαλείπτως χωρητεῖ , τοὺς δὲ λοιπὸς καρπὸς δι' ἑταῖς ὅλες περιγράψαντας ἀντοῖς &c. Ob istam porro terræ hujus præstantiam nequaquam ego negaverim quod illic fuerit Paradisus , ac si tanta in illo loco post peccatum semper requireretur vastitas , quanta ante illud fuit elegantia . Si quidem qui locus amisit speciales Paradisi prærogativas , & communem subiit cum terra reliqua ante & per diluvium maledictionem , ille non mox omnem amisit præstantiam fundi , sed potius hujus reliquias præ aliis minus beatis locis non immerito putet retinuisse . Verum ex adverso quoque ex sola terræ alicuius præstantia non licet in illa Paradisum constituere ; quando Dei bonitas in longe plurimis & dissimilissimis orbis partibus per benignum cœli & solis influxum , terræque ipsius conditionem , & irrigationem latam , ita moderata est communem maledictionem , ut fertilitatem , amenitatem , & arborum plurimarum copiam illic reperias . Ut ex attributo hoc communiori nequeas specialem locum unum discere .

IV. Secundum argumentum bifariam peccat . Primo eodem quo primum modo ; dum ex nomine Orientis , quod communius est , ad singularem locum in oriente concludit , uti ad extrema Asiae continentis pari ratione alios progredi antea vidi mus . Sed dein magis adhuc ; dum non attenditur satis , quo modo nomen *Orientis* sic absolute positum in Scripturis intelligatur . Nempe *Oriens* omnino distinguitur ab integra terra Jisraelitica ; & dicit terras ab hujus vel etiam deserti Arabici oriente sitas paulo proprius vel remotius , quæ Judæis potissimum cognitæ fuere & primis etiam temporibus habitatæ , quod suo loco demonstratum dedimus . Alia vero est res , ubi *Oriens* hujus aut illius urbis vel loci specialis occurrit , aut limites ter-

ꝝ Canahan inter se conferuntur, uti fit apud *Josuam* passim, atque etiam *Gen. xiiii. ii.* Atque adeo extra controversiam omnem equidem est, tractum Jardenis fuisse in terra Iſraēlitica orientalem. Sed falsum omnino, illum solum mereri nomen *orientis*, quando innumera alia loca sunt in oriente; falsum præterea, id nomen absolutè alias usurpari de orientali Canahanæ parte, quod ex adverso datur regionibus ab ea distinctissimis; falsum tandem, quod in textu hoc Mosis aliquid sit adjectum ad hoc nomen, aut præcedat, aut sequatur, quod orientem hunc ad partem aliquam Iſraēliticæ terræ referat aut restringat, ubi ex adverso & *Heden* & *Fluvii* nos ad aliam solitam orientis notionem pellunt.

V. Tertia objectio ex nomine *Heden* viciniæ dato, cum tot aliis horti *Jehove*, *Genesar*, *Paradisi*, magis primo intuitu videtur esse metuenda. Verum & hæc ipsa magis minatur, quam ferit, si ad examen justum eam voces. Utique aliud longe est, terram aliquam hoc illudve nomen proprium habere quo vulgo appelletur; aliud, metaphorice aut synecdochicè ad eam alterius terræ nomen proprium accommodari, uti Roma sic dicitur nonnunquam emblematicæ Babylon & Ægyptus, cum his urbibus idcirco non confundenda. Posteriori modo, non autem priori, Deus *Regem Tyri* dicit collatum in *Heden*; uti clarum est ex eo quod simul in *horto Dei*, atque in monte sanctitatis Dei constituantur. & *Cerubb unctus protegens* appelletur *Ezech. xxviii. 13. 14.* notata sic abundantia, potentia, & splendore Tyri ac Regis ejus. Talis vero metaphoricus vocis usus, in prophetica redargutione aptissimus, in simplicissima primæ antiquitatis historia Mosaica perperam cogitetur. In altero *Ezechieli* textu *Cap. xxxi. 16.* ne hoc quidem obtinet, ut *Libanus* accipiat metaphorice *Hedenis* nomen; siquidem distincte illuc nominantur, primum *omnes arbores Hedenis*, tum *elettio & bonum Libani*, tandem *omnes bibentes aquam*, ut per has omnes arbores, per quas emblematicæ repræsentantur reges potentissimi cum thronis suis, simul adductas *Affyrii & Ægyptii* regis lapsus tanto copiosius depingentur. Qvod si etiam *arbores Hedenis* cædem forent cum *bono Libani*, jam liceret ita ejusdem speciei arbores in Hedene & Libano agnoscere potius quam loca illa confundere. Ipse vero ille

ille Ezechielis locus Assyrium metaphoricè appellans *cedrum in Libano*, reliquosque reges cedris in horto Dei & arboribus Hedenis in horto Dei designans, etiam ostendit, regis Tyrii descriptionem non minus metaphoricam fuisse. Hamost post hæc textus Cap. 1. 5. latius in *Commentario nostro* est expositus; ubi videbis, LXX. non legisse בֵּית הַדָּן / sed per mutationem unius literæ vulgò אֶבְנָה χαράδν, & Hieronymum interpretatum esse appellativè *domum voluptatis*, & videri eo nomine *Beth-Heden* emblematicè tantum formato juxta alterum *Bikkath Aven* notari ipsam Damascum, atque tandem aliud esse nomen simplex regionis *Heden*, de quo disputamus heic, aliud compostum *BethHeden*, quod urbi alicui apud Syros antiquæ forte competierit ob amicum ejus situm aut aliam multiplicem voluptatem. Denique *Telassar* חַלָּשָׁר vel חַלְשָׁר non esse à nomine Græco Τελάσσων maris derivandum, sed potius ab orientali origine petitum notare *munitum* vel *montem* vel *tumulum*, seu *Affuris*, seu *felicitatis*, seu *luci*, seu *principis*, est suo loco visum; qui locus alias ab alio mari æque quam à mediterraneo suam appellationem etiam potuisset habere, sicuti & plures præter Syro-Phæniciam regiones Mari Mediterraneo adjacent; dum & hoc notari meretur, quod *Heden* non dicatur quædam in *Telassar*, sed filii *Hedenis* illic ponantur, qui variis occasionibus in regionem vel urbem peregrinam potuerunt esse translati. Adeo nullus omnino superest locus, qui *Hedenis* nomen tribuat Syro-Phænicæ, cuius sc. orientem constituerit tractus Jardenis.

V I. An ergo alia nomina collata plus faciunt ad sententiae propositæ firmamentum? Minime equidem, ut puto. Utique planities Jardenis, licet metaphoricè potuisset appellari *hortus Jehova*, non accipit tamen nomen apud Mosen Gen. xiii. 13. sed tantum ante divinam perditionem *Sedomæ* & *Hamoræ* dicitur fuisse בְּנֵי יְהוָה / scut *hortus Jehova*, vel quicunque excellentissimus & Deo dignus, vel potius ille à Deo plantatus in *Heden*, cui adeo ob elegantiam assimilatur eadem phrasí qua mox additur fuisse eam נָאָרָן מִצְוֹתָה / scut terra *Ægypti*, in quam tractus Jardenis sic tamen non transponitur vel ommutatur. Per quam instantiam motus *Abramus* fatetur, hoc Scriptura testimonium vix ullius esse momenti, postquam prius

observasset, dici posse, sicut non esse mere auctoritatem ut comparationi tantum inserviat, sed auctoritatem ut causam reddat cur illa regio fuerit irrigata, quia erat Paradisus Dei, coll. 2 Cor. 11. 18. Eph. v. 1. Joh. 1. 14. Sed debuisse agnoscere, hoc testimonium consequenter omnino facere contra se; non enim planities Jardenis sibi ipsi sed loco à se distincto comparatur, in uno & primo æque quam in altero terræ Ægyptiacæ nomine, quæ sane non sicut in tractu Jardenis unquam. Unde & per modum objectionis adversus se hunc locum adduxit Cel. Heideggerus; neque obstat huic sententiae locus Gen. xiii. 10. &c. Et cogitur hic duplex inane effugium querere; primo illud Abrami, Caph esse aïnānōv, quod ex verbis eodem tenore subnexit, & sicut Agyptus, resellit ipse Abramus; tum, neque necessario intelligi debere, Paradisum potius quam hortum, quemlibet amanissimum, quomodo Hebreorum more quicquid excellit in suo genere Deo tribuitur, quod omnino etiam improbat Abramus ob Græcam versionem cum Articulo ὁ παράδεις, sed quod magis improbandum est ob horti Adamici factam à Deo plantationem & celeberrimam amoenitatem, atque ob alterum determinatum terræ Ægyptiacæ simile. Quod porrò attinet ad Genesar, Γεννησαρ apud Josephum, pro quo in N. T. legitur Γεννησαρέτ vel Γεννησαρέτ Matt. xiv. 34. Marc. vi. 53. Luc. v. 1. constat satis, Judæos illud scribentes vel גָּנָּוֹסֶר גָּנָּיְמָר / multos equidem derivare à גָּנָּה vel גָּנוֹת מִרְיָם / hortis principum, qui illuc fuerint complures coll. 1. Chron. xii. 34. vel quibus terra illa fuerit similis per abundantiam & amoenitatem, nihil tamen cogitantes de Adami Paradiſo vetere; sed & longe verisimilius est, hanc esse quandam allusionem in voce, per mutationem literæ unius & alterius derivata ex Hebræa כִּנְרֵת / Cinnereth, & כִּנְרוֹת / qua tractus ille ex primitur Num. xxxiv. 11. Deut. iii. 17. Jos. xi. 1. XII. 3. xlii. 27. 1 Reg. xv. 20. & quam à dulcedine fructus comparata cum dulci fono בְּנֵוֹר cithare derivant Talmudici. Quod ferre videtur velle Ligfonsus, monens, transisse nomen Chinne-reth in Genesar ob regionis amoenitatem hortis ac Paradiſis reperfissima. Cent. Chor. Matth. Cap. lxx. Dum alias de Græca origine à nomine γένεσας vel γένναος, à Talmudicis assumuntq; misericordi, inuenimus illi nulla sic cognitio pto, do

pto, etiam cogitari posset. Tandem ex nomine *Paradisi*, adhibito in appellatione pomorum, & herbæ, & locorum balsami, & fluvii, & urbis in Syria, nihil aliud concludas; quam vel celebrem *Paradisi* primi auctoritatem, unde cum locis fructus præstantissimi suam nauci sint idcirco appellationem, sicuti & à *Genosar* apud *Judæos*, vel latiore vocis usum de hortis splendidis & majoribus, quem in ipsa Scriptura reperimus absque respectu ad *Paradiūm Adami*, vel summū nescio quam incertam hominum traditionem qui suam terram præ aliis commendare nomine veteris *Paradisi* forte voluerunt, unde veritas rei minime pater.

VII. Quarta objectio quam latè diducitur, tam invalida est, petita nempe ex *fluvii* descriptione Mosaica ad *Jardenem* accommodata, sed præter speciem ullam. Quod de nomine *Jarden* præmittitur, ac si notaret ex origine sua *fluvium Hedenis*, conquisitum est; quandoquidem non deberet in scriptione Hebreæ præcipua & distinctiva litera vocis *Heden* omitti, si ista origo vera foret, quin etiam a voluptate fluvius sic appellari posset æque ac à regione *Heden* per quam laberetur. Sed longe verisimilius id nomen vel simpliciter derivatur à דן descendendo per additum Nun *Heemanicum*, pro natura fluvii, vel à דן expandendo, vel à דן dominando, vel ex דן & דן quasi descendens ex *Dan*, vel ex דן & דן quasi irrigans *Dan*, vel ex *Jor* & דן quasi *fluvius Dan*, vel ex *Jor* & *Dan*, duobus fontibus ex quibus fluvius hic componitur. Quod habet *Suidas*, Ἰορδάνης ὁ ποταμός, ἀνθίη δὲ στρῶ αἰγὴ τὸ συμμετροῦ δύο ἄκρα ποταμὸς Ἰορ οὐδὲ Δάνην; & perinde *Hieronymus* in *Quæst. Hebr. ad Gen. XIV. 14.* *Dan* unus e fontibus est *Jordanis*, nam & alter vocatur *Jor*, quod interpretatur φειδεὸν q. e. rivus. Duobus ergo fontibus, qui haud procul à se distant, in unum rivulum federalis *Jordanis* deinceps appellatur. Interim apud *Eusebium de Loc. Hebr.* paulo aliter legimus; *Dan* viculus est in quarto à *Panæde* miliario euntibus *Tyrum* &c. de quo & *Jordanis* flumen erumpens à loco sortitus est nomen, *Jor* quippe φειδεὸν i. e. fluvium sive rivum *Hebrei* vocant. Quæ magis videntur convenire cum *Sophia* narratione *Lib. IIII. de B. I. Cap. 35.* ubi solius *Panii* meminit, ex quo antro & fonte derivat φαρεցὸν φεῦνα *Jordanis*, ita ut simul ponat tanquam compertum à *Philippo Ter-*

trarcha , quod ex Phiale lacu τεοχειδεῖ Trachonitidis per oc-
cultos ductus ad Panium seu Dan aqua Jardenis feratur. Quæ
nominis Jardenis jungitur hujus fluvii *restagnatio* , eam plane
negare nolim , etiamsi per loca adducta omnia haud æque
feliciter probetur, uti antea vidimus dudum ; sed observo, flu-
vio Hedenis neutiquam à Mose tribui restagnationem , sed
tantum *irrigationem horti*, dum irrigationem etiam lectam Gen.
xiiii. 10. aliis præter restagnationem modis fieri passim , &
heic factam omnino esse , ibidem notavimus , ob Paradisi in-
habitationem perpetuo futuram quæ restagnatione fuisset impe-
ditæ. Et est præterea neque restagnatio neque flexuosus cur-
sus Jardeni peculiaris , sed pluribus fluviis communis. Qui
restagnationi Jardenis jungitur *situs medius* inter fontes magis
septentrionales & fluvios magis meridionales , nescio quid' huc
faciat multum ; quando flumen hunc fuisse medium inter
duos septentrionales & duos meridionales alios nusquam dixit
Moses ; nec Jardenes aquas distribuit versus utrumque latus
tam septentrionale quam meridionale , sed in meridiem modo ten-
dens à fontibus septentrionalibus Euphratis & Tigridis sic magis
recedit. Ut recursum cogatur arcanum ponere ipse *Abramus* plane
septentrionalem versus fontes Euphratis & Tigridis, ex quibus
fluviis secundum Patres miro recursu & cursu orientur iterum
Pishon sive Ganges & Gihon sive Nilus ; dum ipse probabilius
censet, Gihon esse *fluvium Sihor qui Aethiopiam orientalem*
inter Aegyptum & Palestinam alluit, & Pishon fluvium qui in terra
Hevilat prope Amalekitidem arenas aureas in Arabicum sinum evol-
vit. Quæ situi Jardenis jungitur ejus per terram *consumptio* seu oc-
cultatio infra Lacum Asphaltitem, illa ejus divisionem in Ti-
gridem Euphratem Pishon & Gihon neutiquam docet. Quan-
do in mille alias cavernas subterraneas aut abyssum ipsam per eas
hæc æque aqua , quam aliorum marium & fluviorum, labi po-
test ; scribente *Josèpho*, quod εἰς τὴν Ἀσφαλῆτην ἔξεισι λίμνην,
& ex recentioribus *Christi. Adrichomio*, quod *pestiferum hoc*
mare præterlapsus brevique spatio egressus in horrenda quadam ter-
ra voragine atque abyssō absorbeatur. Unde sicut neutiquam
demonstrari potest illa aquarum Jardenis in fluvios quatuor Mo-
saicos divisio ; ita præter longissimam distantiam , & altitudinis
diversitatem, ubi erumpit fluitque Jardenes alias in altum ascen-
su-

furis ibidem ; obstat quam maximè aquarum Jardenis insufficiencia ad tot tantosque fluvios alios constituendos. Præterquam , quod longe aliam & conspicuam divisionem fluvii spe-
ciasse Mosen antea asseruimus. Post hæc omnia nullum robur habet *Syracidis* autoritas , qui nec usquam fluvium *Hedenis* per *Jordanem* exposuit , sed hunc fluvium tanquam ex Mose & aliis Scripturis celebrem ac Iisraëlitis notissimum cum aliis quatuor junxit ; & quidem penultimo tantum loco , quem si fluvium radicalem omnium aliorum credidisset omnibus cum Mose debuisse potius præponere. Nendum quemquam movebit superstitionis fabella de *incorruptis* prorsus *Jardenis aquis* , quam satis ridiculè probat *Villamontius* , ex eo quod eam talem *Jerusalemis Venerias usque mille & septingentiarum leutarum intervallo detulerit* ; quasi non aliquamdiu multiplex aqua conservari posset à corruptione , quæ tamen idcirco non plane incorruptibilis constitueretur. Nihil vero de ista virtute aquarum fluvii Hedenis habet Moses ; atque ineptissimè statuat quisquam , post peccatum omnia corrumpens per Dei judicium justissimum non modo mansisse eam fluvii ipsius virtutem , sed & aquas ejus aliorum delatas eam constanter servare , quando mirum est , nec omnia per aquam hanc irrigata constitui similiter incorruptibilia etiamnum. Ita objectione hac per partes omnes soluta , retorsioni amplissimæ locus est ; quando v. g. nec Jardenis nomen fluvio Hedenis nec illud fluvii Hedenis Jardeni dedit Moses aut reliqua Scriptura ; quando Jardenes non est in *Oriente* & Regione dicta *Heden* ; quando Jardenes neutiquam dividitur in quatuor alias fluvios , nendum in Euphratem & Tigridem , cuius longe magis septentrionales sunt fontes &c.

VIII. Quinta objectio minime omnium nos detinere potest aut debet , quatenus vel meritis ratiociniis vel incertis traditionibus nititur , quæ neutiquam in re geographicò-historica contra Mosen possunt valere. Utique Iisraëliticam terram nusquam Spiritus dixit *mediam* continentis omnis , quando בְּקָרְבַּ הָאָרֶץ in *Psalmo* notat simpliciter *intra terram* , vel omnem vel Canaanæam , coll. vers 4. 11. & medium Canaanæa terra non est simul necessario medium orbis ; nec est illa media continentis , si terras ultra Gangen addas orienti , uti decet. Sed neque ab altera parte Paradisum in medio terræ constituit Moses ;

nec est cur illic constituatur à nobis ; quandoquidem medium omne non est præstantissimum aut in regionibus aut in rebus aliis ; nec ponderis alicujus est Hebræorum traditio apud Origensem, Φασιν ἵστην μέσον ἐντεῦθεν κόσμος ὡς κόσμον ὁ φθαλμός, διὸ τῷ τοῦ ποταμὸν τὴν Φυστὴν ἐξανεγέργη σύμπλογος, quam adduxit Eugubinus. Perinde non ignoramus istas de loco creationis habitationis, & sepultura Adami traditione tum Judaicas tum Christianas ; sed fundamenta earum sufficientia desideramus, quæ superstitione cirea Judæam terram maxime nitividentur, & incertissimis præterea conjecturis. Qualis est v. g. illa de sede Kajinitarum in Trans-Jordanica terra, quia illuc post Diluvium gigantes habitarunt, qui prius dicti חַנוֹנִים / nomine paululum inflexo appellati fuerint עֲנָקִים. Cæteroquin non ita procul à Paradiso natum, ibidem etiam post Iapsum vixisse, & sepultum esse Adamum, dici probabiliter, sed nec iterum monstrari potest ; quandò possente rationes dari, cur etiam longius à Paradiso post peccatum expulsus crederetur Adamus. Porrò *celebritas*, *promissio* specialis, & vis *præfigurativa* Canahanæ terræ, vix quidquam ad rem præsentem videntur facere ; quandò à fertilitate, non autem à situ Paradisi in ea celebratur, & ob hanc simul & incolarum maledictam impietatem promissa est Jisraëli, atque sic à Deo & populo ejus habitata recte etiam pro typo quodam coeli habeatur ; & quandò Paradisus ipse, unde Adam à Deo satis severè expulsus, potius ad habitationem à Deo non videtur suis datus esse deinde, quam datus. Tandem quod Christus natus est, versatus, passus, mortuus, & suscitatus in terra Jisraëlitica, id factum, non ex aliqua vetere loci illius dignitate, sed ex populi Deo federati inhabitatione in ea quo tempore res hæ gerebantur. Neque est ullo modo necessum, ut ex eodem loco exitium & salus oriatur ; quod si necessum foret, jam vel Judæa *integra*, vel speciatim Bethlehem & Ierusalem, pro Paradiso foret habenda ; dum illa quæ de Arboribus Vitæ & Scientiæ dicuntur, cum respectu ad Christum & Legem, tanquam plane allegorica, argumentum nullum solidum præbent.

IX. De Autoritatibus vix operæ pretium est verbum ullum addere. His enim non tam astruitur sententia proposita, quam quidem à novitatis objectione liberatur ; quæ in hoc rerum generere

nere non est magna aut gravis ; ubi recepta magis sententia non est inter fundamentalia fidei capita , atque ubi saepe laudem meretur scrutatio nova postquam opinionem minus exploratam alter ab altero dudum accepit . Interim non habet opinio à nobis impugnata assentientes adeo multos aut magnos viros , ut hoc nomine admodum commendari queat . Utique traditio isthac Judæorum de porta Paradisi vicina monti Morie concidit , si spectemus ejus fundamentum apud Elieserem , quod est foeda ~~περιφυνεια~~ verborum Dei Genes. IIII. 23. quasi cultus terra , ex qua sumptus erat Adam , intelligeretur non corporaliter sed spiritualiter de Dei cultu in illa ; unde & hoc ex turbida traditionum colluvie derivat Guil. Henr. Vorstius . Nec aliquod in historia habent fundamentum , sed majus in superstitione fabulosa , quæ de Agro Damasco in tribu Judæ prope Hebron & de Speleonia Adami in eo seruntur plurima . Verum porro est , quod apud Athanasium dicatur , οἱ μὲν γὰρ Φασιν , ὅτι εὐ' Ιερουσαλήμ εἰσὶν ὁ Ἀρχάρετος ; sed qui aut quales fuerint hi , non exprelsit , atque addidit , οἱ δὲ εὐ' Σεργίῳ , imò utramque opinionem pariter refutavit , καὶ εἴς τὸ δόγμα αὐλαῖς , καὶ ὅτι μὲν εὐ' Ιερουσαλήμ εἰσὶν ὁ Ἀρχάρετος , μαρτυρεῖ ἡ Αἴδηρος , οἱ εὐ' τῷ Κρανίῳ κείμηται , εὐδηλον δὲ ὅτι εὐ' τῷ Ἀρχάρετος εἰπάσθαι , αὐτὸν εξελέγην &c . Recentiores Scriptores Pontificios porro non est quod magnopere spectemus ; quando in numero hominum horum maximo sunt isti paucissimi ; hi partim de re ipsa tacent , nomen Jardentium derivantes à Jaar Eden ; horum alii denique vel rationes adducunt imbecillia , quæ antea habuimus , vel locum Morris ex Genes. XIII. 10. uti de Circuello & Alfonso refert Corn. à Lapide , quem omnino huic opinioni obstare antea similiter monstravimus .

Annexa Defendantis.

I. פְּנִינָה Job. XXVIII. 18. Prov. IIII. 15. Thren. IV. 7. contra Bochartum
aliisque locis occurrens , non διθεσ πολυτελεῖς in genere , margaritas
aut uniones , sed gemmas rubicundi coloris , aut etiam Corallia
significare videtur . II. Tharsis , cuius mentio Jerem. X. 9. &
quo Hydrozoici p. 2.
pag. 62.

quo tendebat Jonas fugiens à facie Dei Jon. 1. 3. non Oceanum,
nec Tharsum Cilicia Urbem, sed Tartessum Hispania norat potius. At
per אַנְיוֹת חֶרְשִׁים non ubique Naves Tartessiacas, sed alias ma-
gnitudine ipsis pares intelligi existimamus. III. Paradisi vocem
esse Persicam, non vero Hebraicam aut à deducendam, eam-
que à Persis ad Grecos aliasque gentes dimanasse, probabile est.
IV. Gladus גָּדָס Jerem. XLVI. 16. L. 16. & Jerem. XXV. 38.
non incommoda verti potest per Columbae gladium, i.e. Babylonio-
rum, (qui Columbe imaginem in vexillis habebant, eamque variis
modis venerabantur,) alias versus, opprimens. V. טַשֵּׁפ Psalm.
LX. 6. non arcum, uti versionis Alexandrine Grece aliorumque
non infimi subsellii Eruditorum fert sententia, admissa permutatione
literarum ejusdem organi, sed veritatem denotare videret. VI.
Textum Genes. XLIX. 12. non male putamus intelligi juxta sen-
tentiam AbenEzrae, Raschi aliorumque, oculos Iuda rubicundos
fore ob vini copiam, quod biberet, atque dentes ejus albedine tin-
gendas esse ob laetis copiam, quo nutririatur: dum & cogitari po-
test splendor oculorum ejus præ vino fulgens, & albedo dentium
qua laetis colore ea supereret. VII. Quamvis inter Justificatio-
nem fidelium sub Oeconomia Vet. & Nov. Testam. discrimen ad-
mittamus satis conspicuum; attamen benignius est nostrum de statu
Patrum sub Vet. Test. judicium, quam ut plenam ipsis peccatorum
remissionem, adoptionem, conscientia tranquillitatem, & qui plu-
res sunt hujus beneficii fructus, admittamus. VIII. Nec obstant
sententia nostra Scriptura loca Jerem. XXXI. 34. Actor. x. 43.
Rom. III. 25. Actor. XI. 11. 39. Hebr. x. 18. Ephes. I. 7. Co-
loss. I. 14. & que ejusdem argumenti plura inveniuntur. IX.
Specimen unperum Viri Docti, quo S. Scripturam Vet. Testam.
pratextu nescio cuius Metri, hactenus ignoti, nec ab ipso proditi,
corrigere aut corrumpere verius sustinet, voces & periodos integras
transponens, mutilans, supplens, pro lubitu ut sensus inde longe
alius imo Scriptura longe alia resurgat, rei Christianae maxime
noxiun & periculosum & enqua esse defendimus, utpote quod
ejusdem primo fundamento totalem minatur ruinam.

F I N I S.